

1777, 25<sup>b</sup>

DE  
**LAESIONE EMTORIS  
VLTRA DIMIDIVM RECTE  
COMPVTANDA**

---

COMMENTATIO IN AVGVRALIS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
HONORIBVS

DEFENDET

M. IO. SAMVEL TRAVG. GEHLER

GORLICIO - LVSATVS

IVRIS VTR. BACCALAVREV\$

---

LIPSIAE D. XXVIL FEBR. MDCCCLXXVII.

---

LIPSIAE

Ex OFFICINA BREITKOPFIA.



---

DE LAESIONE  
EMTORIS VLTRA DIMIDIVM RECTE  
COMPVTANDA

---

§. I.

*Instituti ratio.*

**V**ti in vniuersum omnes litterarum disciplinae mutuo quodam cognationis vinculo continentur, nec vlla est, quae facile possit omni alterius ope et auxilio carere, ita et Mathematicae doctrinae haec propria laus est, vt quoquo tandem in amplissimo eruditio[n]is campo te verteris, vbique fere insignis eius aut in acendo et adiuuando ingenio vis, aut in illustrandis iis ipsis, quae cognoscenda et dijudicanda sint, vsus appareat. In qua laude commemoranda nolo hic multus esse, primum ne videar iusto cupidior commendandae eius doctrinae, in qua cognoscenda magnam ipse temporis et operae partem consumsi, deinde ne denuo recoquenda sit cramb[e] ista tam frequenter in elementaribus Mathematicorum libris apposita, quorum

*Cui non diffus Hylas,*

cui non celebratae Mathematum laudes et in adiuuando omni litterarum studio insignis utilitas? Et quantum faciat in primis ad iurisprudentiam illustrandam, de eo satis superque constat inter omnes, qui laudabili consilio vtrique doctrinae operam derunt, quorum nonnulli arctius etiam necendum vtriusque

A

vincu-

vinculum putarunt, excoigitata peculiari *Matheos forensis* disciplina, ad quam referenda est et ea, quam hoc libello tractauimus, dudum iam et varie inter Ictos agitata controuersia. Obllata nimirum hac scribendi opportunitate placuit proferre aliquid ex eo genere litterarum, quod nec a studiorum meorum nec ab huius occasionis et loci ratione esset alienum, et meae istius *Matheeos*, cuius

— *Me primum dulces ante omnia Musae  
Quarum sacra fero ingenti percussus amore  
Accipiant —*

in adiuuanda Iuris scientia usum et praestantiam re ipsa magis et exemplo, quam verbis et declamatione celebrare, quod fieri posse videbatur, si de recte computanda laesione emtoris enormi quaedam disputarem. In qua re nisi plane inuita Themide elaborauit, id non tam mihi, quam fautoribus istis debeo, qui cum tractandi huius argumenti autores et suasores extiterunt, tum vero etiam ipsum scribendi negotium consilio regendum et praebendis libris adiuuandū putarunt. Et his potissimum hortantibus eum in ipso libello ordinem secutus sum, ut praemissa prium tractatione generali de emtione venditione, laesionibus in pretio, et rescissione contractus ob laesionem enormem, deinde varias Ictorum de computanda laesione enormi emtoris sententias exponerem, tum, quae vera mihi videretur, eam traderem, demonstrarem, et contra quasdam aduersariorum dubitationes, e Mathematica in primis doctrina repetitas, defenderem.

### §. II.

#### *De indole emtionis venditionis in uniuersum.*

Cum primum homines in societatem coeuntes a communerum, quas natura procreauerat, usu recederent, atque occupandis

pandis sibi que vindicandis iis, quae ad vitam transfigendam necessaria viderentur, dominia rerum constituerent, impositam sibi mox sensere permutandi necessitatem, ut posset quisque tradendis iis, quorum copia afflueret, ea sibi ab altero comparare, quorum ipse premeretur inopia. Quod quidem negotium, quo carere societas humana plane non poterat, variis ab initio labrabat difficultibus ac molestiis. Primum enim, cum nemo videretur plus velle largiri alteri, quam ab eo ipse receperisset, constituendum erat et decernendum de omnibus in vniuersum rebus, quanta cuiusvis copia tantundem ad hominum usum valeret, quantum altera alterius, quod quidem in tanta rerum, quibus vita eget, varietate erat molestissimum. Deinde, cum nemo posset consequi id, quo opus sibi esset, nisi ab eo, qui careret iisdem, quibus ipse abundaret, verendum erat magnopere, ut, qui rem quandam desideraret, inueniret statim, a quo sibi eam posset comparare. Et his potissimum de causis homines ad pretii communis sive pecuniae usum confugere. Ad hanc enim veluti ad communem mensuram cuiuscunque rei valor facile poterat reuocari: hanc pro superfluis sibi minus necessariis lubenter quisque recipiebat, ut cuius ita esset rei cuiuslibet sibi comparanda facultas. Quo factum est, ut in permutacionis locum succederet *emtio venditio*, qua merces in alios pro certa pecuniae summa transferuntur, quae cum tam frequenti inter nos usu increbuerit, ut ea vel maxime mutua hominum commercia et negotia innitantur, mirum non est, Iureconsultos praecipuam eius in iure civili tractando rationem habuisse.

Referunt autem eam in numerum contractuum *consensuum*, qui nimis solo partium contrahentium consensu perficiuntur; ita, ut emtio venditio contrahi dicatur, simulatque de re et pretio conuenierit. Quod ubi factum est, venditorem ad tem eodem iure, quo haber ipse, tradendam, emtorem ad premium soluendum teneri, neutrumque posse inuito altero a conuen-

tione recedere, ex ipsa rei natura facile intelligitur, quacum ita consentiunt leges, vt ne praestatione quidem eius, quod interest, aut offerendo duplo pretio venditori liceat a traditione ipsius rei se liberare, *l. 3 et l. 6. C. de resind. vendit.*, quiique officio huic se substraxerit, is *l. 10. C. de aff. emti et vend. conuentionis fidem rumpere* dicatur.

Id vero non ita est accipendum, ac si accedente semel vtriusque partis consensu fieri plane non possit, vt vila de causa ab eo recedatur, quicquid etiam artificii alter ad cogendum aut circumueniendum alterum adhibuerit. Quodsi enim res ita se haberet, parum profecto consuluisserent leges et reipublicae securitati et negotiorum commerciique a fraudibus vacuitati, praefertim cum nusquam fere magis quam in emendo vendendoque lucri captandi iniqua cupiditas dominetur. Cui cum nullum esse debeat in legibus praesidium, constitutum est, vt emio venditio ea, ad quam ineundam alter alterum, aut vi metuque adegit, aut dolo malo prauisque artibus allexit, ipso iure nulla habeatur, *l. 9. ff. quod metus causa, l. 7. pr. ff. de dolo malo. Co-*  
*acti enim aut callida machinatione decepti hominis, consensu cogitari vere non potest.*

Sunt et praeterea complures causae, ob quas emtiones venditiones vel ab initio nullae putantur, vel, etiamsi vel maxime mutuo consensu perfectae videantur, iure tamen possunt rescindi. Ita v. c. iis nonnunquam consultur, qui errore se absque dolo malo laesos conqueruntur. Et huius quidem rei duplex ratio reddi potest, prima, quod errantium vix verus est consensus, *l. 116. ff. de R. I. altera*, quod, qui in negotiis contrahendis mutua in se suscipiunt officia, ii fide bona inter se agere, nec lucrum sibi alterius damno parare, aut, si quid eiusmodi iniurias acciderit, id ex aequo bonoque rependere velle videntur. Cum igitur errans aliquis aut sibi ipsi aut alteri iniuriam intulit, detecto errore damnum resarciri iubent leges; vnde variae corrigendarum laesio-  
num

num rationes enatae sunt. Nonnunquam enim vel ipsae emi-  
et venditi actiones damnum passis auxilium praebent, aut aedi-  
litia edicta succurrunt; nonnunquam ob errorem ipse contractus  
aut nullus ab initio putatur, aut rescinditur. Et huc quidem  
praeter alia plura pertinet notissimum *l. 2. C. de rescind. vendit.*  
remedium, quo consultur iis, qui in emendo vendendone aut  
errore ducti aut necessitate rei familiaris coacti a iusto pretio ali-  
quanto longius recessere: de quo, cum huc omnis nostra dispu-  
tatio redeat, iam paulo diligentius dispiciamus.

## §. III.

*De laesionibus in pretio minoribus et maioribus.*

Hic vero primo loco obseruandum est, aequitati quidem  
vel minimam laesionem repugnare, leges autem in re tam lu-  
brica et incerta minima quaeque curare non posse. Cum enim  
difficillimum sit, rerum iusta pretia ad amissim aestimare, qua  
in re non solum spectandum est, quid valeat quaeque res ad  
vsum vitae humanae, verum et innumera alia, *v. c.* quam rara  
sit aut comparatu difficilis, quanta cum opera aut arte elaborata,  
quid ei praestantiae ex hominum opinione accedat, et plura  
eiusmodi, fieri plane non potest, vt omnibus hic ad vnguem  
resectis, ne tantillum quidem ab eo, quod iustum vulgo puta-  
tur, pretio discedere liceat. Quanquam enim negari non pot-  
est, esse rebus quaedam, quae iusta dici possint, pretia, non ea  
quidem ab ipsa natura insita et impressa, sed hominum commu-  
ni velut arbitrio et aestimatione tributa, haec tamen in ista rerum  
et opinionum humanarum varierate et vicissitudine non possunt  
esse firma et stabilia, sed variis contrahentium conditionibus,  
temporibus, locis etc. mutantur. Accedit, quod in unoquo-  
que emtionis venditionis negotio singulares adesse possunt ra-  
tiones, ob quas emtor minoris, venditor pluris rem aestimet.

A. 3

Quae

Quae quidem pretiorum incerta aestimatio mouit adeo Cel. THOMASIVM<sup>a)</sup> , vt iustum pretium nullum aliud putaret, quam id ipsum, quod contrahentium consensu esset constitutum, cumque ita ex errore in pretio laedi quenquam posse negaret, aequitatem illam, qua d. l. 2. C. laefis succurrit, vt commentitiam et cerebrinam insectaretur. Nobis vero iis, quibus usus est, argumentis id tantum effecisse videtur, vt pateat, non posse leges minimum quemque a iusto pretio discessum curare: pretia enim iusta in ciuili saltem societate adesse, quae possint pro varia negotiorum, rerum, temporis et loci conditione peritorum viorum arbitrio definiri, vix quisquam negauerit, esfi ea et ipsa non tanta cum severitate sint virgenda, vt paululum inde in utramque partem recedere plane non liceat, sed limitibus quibusdam circumscribantur; quo factum est, vt e doctoribus multi de iusti pretii latitudine quadam loquerentur. Et ne hi quidem limites nimis anguste contrahendi sunt, nisi inumeris litibus et controversiis locum relinquere velis. Spati potius aliquid concedendum, per quod libere vagari possit emtoris venditorisque aestimatio: Et hoc commode referri potest, quod ait POMPONIUS l. 16. §. 4. ff. de minor., in pretio emtionis et venditionis licere naturaliter contrahentibus se circumuenire, itemque DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS l. 8. C. de res. vend., substantiae huius contractus congruere, quod emtor viliore comparandi, venditor cariore disfrahendi votum gerentes ad eum accedant.

Sed vti in uniuersum, vt ait Poeta:

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*

*Quos ultra citraque nequit consistere restum,*

ita et hic caendum, ne nimia alteri ab altero iniuria inferatur, qualem laesioniis enormis nomine ICTI appellant. Iam vero legislatoris est, definire, quem modum huius rei esse velit, quos

que

a) *Diff. de aequitate cerebrina l. 2. C. de res. vend.* Halae. 1706.

que limites constituendos putet, quibus minores laesiones ab enormibus distinguantur.

## §. IV.

*Earum limites iure antiquo incerti fuere, donec ratione Venditoris l. 2. C. de resc. vend. constituerentur.*

Quod quidem iure veteri singulari lege definitum non erat, neque Ciceronis temporibus emtori saltem absque dolo malo laeso ullum fuit remedium. Cum enim ille *de Offic. Lib. III. cap. 14.* callidissimam illam fraudem exponit, qua C. Canium equitem Romanum Pythias Syracusanus circumuenit, addit haec: *Si stomachari Canius. Sed quid faceret; nondum enim Aquilius collega et familiaris meus protulerat de dolo malo formulas, e quibus intelligitur, vel e maxima laesione absque dolo malo eo tempore ab emtore ad rescindendum agi non potuisse.* Videntur tamen quibusdam eo valuisse bonae fidei formulae, ut laesiones ex errore in pretio enatae vi clausulae generalis praetoriae ab arbitro ex aequo bonoque emendantur, quod arg. *ll. 78 et 79 ff. pro Socio euincere student.* Proferunt etiam *l. 36. ff. de V. O.*, vbi dicitur subueniri et iis, qui absque dolo laedantur, si ipsa res in se dolum habeat, unde dolum *e re a dolo e persona* distinxere juris interpretes, quod non est, cur tam acerbe exagitet Cel. THOMASIVS<sup>b)</sup>), cum simulatque grauem laesione in adesse compertum est, is non sine dolo agat, qui nimium petit, aut acceptum retinet. Et de venditore quidem laeso grauib[us] sane argumentis potest confirmari, id obtinuisse, ut si res minoris, quam par esset, veniisset, licet venditori de rescindendo contractu agere, nisi emtor offerret, quod iusto deesset pretio<sup>c)</sup>). Quod vero

b) *Diss. de aequ. eer. Cap. II. §. 4.*

c) *cviac. Obj. XXIII. 24.*

vero hic addit summus c*VIACIVS*, fuisse iam veteri iure certum limitem, quo minores laesiones ab enormibus discernerentur, eundem nimirum, qui l. 2. C. de res*c. vendit.* denuo esset disertis verbis constitutus, quem sibi videtur intuenisse in l. 47 ff. de evict*t.* vbi commemoratur venditio, quae rata est et firma, quanquam vendor dimidiā tantum partem iusti pretii accepit, id mera coniectura nititur, eaque vix probabili, cum quod iudicis arbitrio permititur, non videatur certae cuidam et definitae normae adstringi. Cum vero incerta ista laesionum enormium aestimatio cum iudici molesta, tum contrahentibus periculosa esset, placuit Imp*p.* DIOCLETIANO et MAXIMIANO ita Lupo cuidam referibere, ut non solum istam iam antiquo iure visitatam venditionis ob errorem in pretio rescissionem probarent, sed certum quoque, a quo inciperet enormis laesio, terminum constituerent, qua in re his verbis usi sunt: *Rem maioris pretii si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emtoribus, fundum venum datum recipias, auctoritate iudicis intercedente, vel, si emtor elegerit, quod deest iusto pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nee dimidia pars veri pretii soluta sit.* Idque denuo confirmarunt l. 8. C. eod. qua Euodiae non concedunt, negare consensu finitum contractum, nisi minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset.

## §. V.

*Ea lex usi fori ad emtorem quoque et alios contractus bilaterales profertur.*

Sed de ista lege ad forensem usum adhibenda admodum diuersae sunt doctorum sententiae. Alii enim in verbis manendum, legemque ad solum venditorem restringendam, alii, quoniam parem putant ex vtraque parte rationem, ad emtorem quoque extendendam putant. Priorem sententiam egregie defen-

defendit CVIACIVS<sup>d)</sup>). Aequum enim dicit fuisse subuenire venditori, quem plerumque necessitas rei familiaris compelleret, vt pretio minore venderet, non item emtori vltro ad emendum accedenti. Et quod solet responderi, saepe et emtorem adigi necessitate ad rem quandam maiore pretio sibi comparandam, id cogitari vix potest, nisi in rebus raro cibuiis, quarum tamen et iustum premium raritate augetur, vt, etiam si aliquanto pluris confiterint, in eo tamen laesio nulla insit. Cum vero id sibi poscat rescriptorum natura, vt, si subsit ratio vni tantum parti propria, non facile ad alteram quoque trahantur, nobis quidem haecce CVIACII sententia cum recta legum interpretandarum ratione optime conuenire videtur.

Ab ea tamen recessere complures, qui rescriptum illud Diocletianum ad emtorem quoque extendendum putant, argumentis ab aequitate ductis, cui repugnare dicunt, vni tantum contrahentium parti, non item alteri succurrere, et in vnum aliud quid, quam in alterum, iuris statuere. Nec mouet eos, quod Imperatores de venditore tantum rescriperunt; aiunt enim, idem de emtore praecepturos fuisse, si de eo rescribendi occasio subnata esset. Quin venditoris conditionem meliorem etiam quam emtoris esse affirmant, cum istum rei, quam possederit, naturam et praestantiam penitus rectiusque, quam quidem emtorem nosse oporteat: adeoque ille non possit tam facile, quam emtor, a iusto eius pretio aberrare. Quapropter iniquum putant, ab eo, quod indulgetur venditori, cuius melior conditio, arcere emtorem, cuius deterior sit. In qua quidem sententia, cum et eximiam aequitatis speciem preeferat, et vsu fori comprobetur, maneamus, cum in hocce libello non tam de eo quaeramus, vtrum 1. 2. C. ad emtorem sit proferenda, quam id potius agamus, vt, si proferendam esse sumseris, qua ratione id fieri debeat, in telligas.

Præ-

d) Obs. Lib. XVI. 18.

Praeterea et de eo inter ICtos est controversia, num *I. 2.* C. ad alios quoque bonae fidei s. bilaterales contractus, ut ad locationem conductionem, permutationem &c. sit extendenda, quae cum aequa ac prior ad nos parum pertineat, paucis tantum indicabimus, disputasse de ea praeter alios *VLRICVM HV-BERVM* in *Praelect.* *Pand. ad tit. de resc. vendit.*, qui neget, novam hanc legem et iuris antiqui derogatoriam ultra limites emtionis venditionis esse proferendam, addatque rationes singulis quibusdam contractibus, permutationi numerum et locationi conductioni proprias; neque vero deesse, quae contra haec moneri possint, quae in compendium redacta reperies in libello *de interpretatione et extensione I. 2. C. de resc. vendit.*, Traiecti ad Viadrum anno 1775, praeside Cel. DARIES defenso.

### §. VI.

#### *Laesiorum emtoris in pretio et in quantitate aut qualitate rei emtiae discriminem.*

Nobis vero, cum sequamur istam visu forensi comprobatam sententiam, vim *I. 2. C.*, quanquam verba ad venditorem solum pertinent, esse tamen ad emtorem quoque extendendam, ante omnia dispiciendum est, qua ratione emtor laedi possit, ut constet, cuinam laesiorum generi proditum hac lege remedium conueniat. Emtoris autem laesio vel in *quantitate* aut *qualitate* rei emtiae, vel in eiusdem *valore* et *pretio* cernitur. Etenim aut pro pretio soluto rem accepit vel quantitate et mensura minorem, vel conditione deteriorem, quam conuentione erat definitum, aut pro re, de qua cum venditore conuererat, pretium iusto maius rependit. Vtriusque laesioris diuersa est ratio, ad-eoque magnum inter utramque discriminem. Quae enim in *quantitate* aut *qualitate* rei emtiae cernitur, ea corrigenda omnino et tollenda est, quaecunque demum fuerit, siue maior, siue vel minima, seu dolo malo, seu ab ignaro aut errante venditore illata.

illata. Et tum quidem laeso emtori aduersus venditorem in promtu est actio emti ordinaria. Qui enim rem minorem aut deteriorem, quam conuentum erat, tradidit, is non videtur ex sua parte contractui satisfecisse aut promissis stetisse, quibus plus, quam praestitum est, inerat. Itaque et antiquo iure iis, qui sic laesi erant, licebat non habito discrimine, vtrum maior an minor laesio esset, actione emti aduersus venditorem, vt contractui ex aste satisfaceret, experiri. Ex quo intelligitur, remedium *I. 2. C. de refe. vend.* ad laesiones in quantitate et qualitate rei emtae obuenientes plane non esse trahendum, quoniam his ita iam prospexerat ius antiquum, vt nouo remedio opus non esset, nec in iis vili inter maiores et minores laesiones discrimini locus est, vt vere monuit *PINELVS* in Commentariis ad *I. 2. C. de refe. vend.* *P. III. cap. 2.*

Alia vero est earum laesionum ratio, quae e rei emtae *pre-  
tio* et *valore* enascuntur. Hae enim ipsi contractui insunt, ita vt alter alterum laedat, etiamsi vterque satisfaciat iis, quae conuentione sint definita. Itaque si dolus absit, neque ultim hic adest iure antiquo remedium, nisi fortasse e bonae fidei formalis et clausula generali praetoria repetitum, de quo §. IV. diximus, nec negligendum omnino omne inter maiores minoresque laesiones discriminem, cum ferre vel maximas iniquum esset et noxiū, curare vel minimas, incertae priorum aestimationi, vt in superioribus monuimus, vix consentaneum. Iam vero, si ad emtorem quoque *I. 2. C.* pertinet, vt nos quidem sumimus, ea ad hocce tantum laesionum genus adhibenda est, quod in rei emtae pretio cernitur. Hae vero laesiones vel *minores* sunt, vel *enormes*, quae et *laesiones ultra dimidium* vocantur. *Minores*, nisi dolus aut vis metusue acceperit, non curant leges; ob *enormes* autem, etiamsi dolus haud intercesserit, ipsius contractus rescissione e *I. 2. C.* ad emtorem prolata locus est. Et hae quidem sunt eae, de quibus iam dicere in animo est, *laesiones emtoris*

*ultra dimidium*, in quibus computandis cum in diuersas partes abeant ICti, nos expositis eorum opinionibus, quid nobis de ea re statuendum videatur, adiiciemus, et aduerfis ea, quibus contrariam sententiam confirmare stulant, argumenta, paucis disputabimus.

### §. VII.

*In laesione emtoris ultra dimidium computanda ICti in duas partes abeunt.*

De vendoris quidem laesione computanda constat inter omnes e disertis l. 2. C. verbis, minus pretium esse, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit, adeoque venditorem enormiter laesum esse, si ne dimidiā quidem partem eius, quod dederit, seu iusti pretii rei venditae acceperit: nec de eo vlla vñquam inter ICTos fuit controuersia. Aliter vero se res habet ex parte emtoris, cuius cum verba legis nullam mentionem faciant, sed interpretatione demum ad eum proferantur, enata est inter iuris interpretes de constituendo termino, a quo laesiones emtoris enormes incipiunt, magna dissensio. De eo ad vntum omnes consentiunt, emtoris ac vendoris aequalē esse conditionem, et paria vtrique iura concedenda: quanam vero ratione aequalitas illa aestimanda, et ad quam normam componenda sit, de eo multis inter se et variis argumentis disceptant.

Sunt enim, qui iam tum emtorem enormiter laesum arbitrentur, cum, quod dedit, rei emtae iustum pretium cum dimidia eiusdem parte superat, vt si quis pro re X valente, rependit XVI, quae superant numerum X dimidia sui parte auētum, seu XV. Et hi quidem in constituendo limite laesionum emtoris proportionem arithmeticam ita sequuntur, vt apud eos laesionum terminus ex parte vendoris, iustum rei pretium, et laesionum terminus ex parte emtoris sint in proportione arithmeticā continua, veluti in exemplo, quod commemorauimus, re X valente,

te, termini laesiorum sunt ex parte vendoris V, ex parte emtoris XV; qui numeri V, X, XV, progrediuntur in serie arithmetica. Et haec fuit opinio multorum inde a glossatorum temporibus, e quibus nominasse sufficiat ACCVRSIUM<sup>e)</sup> et PINELVM<sup>f)</sup>, quam nostris temporibus denuo excitauit, argumentisque e re Mathematica petitis confirmare studuit Perillustr. DE ICKSTATT<sup>g)</sup>, et post eum Cel. DARIUS<sup>h)</sup>.

Alii vero de laesione emtoris ultra dimidium ita statuunt, ut eam tum demum adesse dicant, cum, quod solutum est, duplum valorem iustum rei emtae superat, veluti si quis pro re valente X, soluit XXI. Quae quidem computandi ratio reddit ad proportionem geometricam ita, ut iustum rei emtae pretium sit quantitas media geometrica proportionalis inter utrumque limitem; veluti in exemplo proposito, re X valente, limites laesiorum sunt ex parte vendoris V, ex parte emtoris XX, qui numeri V, X, XX, progrediuntur in serie geometrica. Hanc sententiam defenderunt complures, quorum nomina ab ICKSTADTO<sup>i)</sup>, recensentur, ad quos pertinent in primis DVARENVS<sup>k)</sup>, CVIACIVS<sup>l)</sup>, SCHILTERVS<sup>m)</sup>: quibus addere liceat Perillustrem L. B. DE CRAMER<sup>n)</sup>, cuius breuis illa quidem, sed elegantissima huius rei tractatio non potest non legenti cuius per placere,

B 3

cum

e) ad l. 2. C. de resu. vend.

f) In Comment. ad l. 2. C. de resu. vend. vend. P. I. cap. 2. No. 6.

g) IO. ADAMI L. B. DE ICK-STATT Opusculum de laesione enormi in contractu emtionis venditionis recte computanda, in ei. Opusculis Iuridicis var. arg. Ingolstadii et Aug. Vind. 1747. 4to editis Tom. I. No. IV., cui subianxit deinde, quo se contra CRAMERVM defendaret, Schediofma apologeticum de laesione enormi recte computanda. Heribip. 1735. 4to, quo tamen vti mihi non licuit.

h) Diff. de interpretatione et exten- sione l. 2. C. de resu. vendir. Trai. ad Viadr. 1775.

i) cit Opusc. §. XLIX.

k) ad l. 36ff. de verb. oblig.

l) Lib. XVI. Obs. 18.

m) Exercit. ad Pand. XXX. §. 94. sq.

n) Disquisitio de laesione enormi recte computanda, qua modus in praxi receperius contra nonnullos recentiores stabilitur, in IO. VLR. L. B. DE CRAMER Opusculorum Tomo III. Marpurgi, 1755. 4to No. XXII.

cum eximia sece ratiocinandi subtilitate commendet, nec non Virum Cel. IO. FRIEDR. POLACK<sup>o</sup>), Iuris et Mathematum Professorem Francofurtensem, qui tamen in reprehendenda magis quam in refutanda aduersariorum sententia elaborauit.

Nos vero cum eorum, qui ultimo loco commemorati sunt, partibus accedamus, in iis defendendis hanc nobis legem scripsimus, ut praemissis quibusdam de laesioribus aestimandis in universum, e quibus omnis ea res deinde diiudicari possit, primum veram deduceremus sententiam, deinde vero in impugnandis et refellendis iis quae ab aduersariis contra eam moneri solent, versaremur.

### §. VIII.

*De laesiorum quantitate, eiusque mensura quaedam in universum disputantur.*

Laecio omnis in eo cernitur, quod minus acceptum, quam datum est. Quantopere vero quis laesus sit, id non debet *absolute* ex eo, quod ipsi deest, aestimari. Qui enim pro fundo, cuius pretium est M numerorum aureorum, soluit MV, is profecto non tantopere se laesum conqueretur, quam qui rem vnius numi VI numis emit, quanquam eterque facit eandem, nimirum V numerorum iacturam. Eius rei causa haec est, quod, qui pro M soluit MV, is non perdit nisi  $\frac{5}{100}$  =  $\frac{1}{20}$  seu partem ducentesimam primam eius, quod dedit, cum alteri, qui pro vno sex rependit, quinque partes sextae eius, quod dedit, et pro quo tantundem recipere debuisset, pereant. Ita quanto maiores sunt quinque partes sextae una parte ducentesima prima, tanto quoque prioris laesio maior est laesione alterius. Ex quo intelligi potest, solere nos in diiudicanda laesiorum quantitate id, quod nobis deest, ad id, quod accipendum erat,

<sup>o)</sup> In recentiore *Matheseos Forensis* editione, quae prodiit Lipsiae 1770. ato P. I. cap. 2. Trai. 8.

erat, vt partem ad totum referre, ita vt res omnis redeat ad rationem, quae a Mathematicis *geometrica* dicitur, oriturque quantitatibus eo consilio inter se collatis, vt appareat, quoties altera alteri insit, vel quotam altera alterius partem constituat. Liceat ergo in omni hac tractatione ea regula vti, *ut laesiorum quantitatem aestimemus e ratione geometrica eius, quod laesa deest, ad id, quod dedit, seu, quod idem est, ad id, quod accipere debuisset.*

Quae regula quo confirmetur magis et stabiliatur, consideremus primum, quam egregie cum ea conueniant, quae *l. 2. C.* de venditoris laesione praecipit. Enormis enim laesionis quantitatem non aestimat e certa et definita pecuniae summa, *v. c. D* solidorum, aut alia, quam quae superet laesio, enormis iudicanda sit, sed e ratione geometrica eius, *quod venditori e iusto pretio deest, ad id, quod accipere debuisset,* quod hic est ipsum iustum pretium, quae ratio si subdupla maior sit, tum demum laesio enormis adesse dicitur.

Deinde, ne quis putet, in quantitate laesiorum determinanda id, *quod deest laeso, referendum potius ad id, quod acceptum, quam ad id, quod datum est, monendum videtur, quod laesus dedit, id complesti semper et in se continere et id, quod accepit, etid quod ipsi deest, ita, vt, quod habet laesus, et quod deest, comparari possint duabus partibus, quae in summam collectae efficiant totum id, quod habere debet, sive tantundem, atque dedit. Sic, vbi pro re M valente, MV soluta sunt, id *quod dedit laesus emtor, sive MV, spectandum est ut totum, cuius duas partes sunt, nimirum M ea, quae habet, et V ea, quae desunt.* Igitur, si quae ras de toto, ad quod laesio possit ut pars eius referri, ducet de ipsa rei et negotii huius natura ad id, *quod dedit laesus, et pro quo debebat tantundem recipere: id enim utramque partem, et eam, cuius iacturam fecit, et alteram, quam re ipsa accepit, in se continet.**

Et

Et ea quidem ratione in vniuersum omnem iacturam et rerum nostrarum deminutionem aestimare solemus, vt quod amissum aut rei cuidam demum sit, non conferamus cum eo, quod superest, sed cum re integra, cuius deminutio facta sit, vt, qui e C perdidit XXV, is non trientem se LXXV eorum, quae supersunt, sed quadrantem potius C eorum, quae ab initio integrum habuit, amississe conqueretur. Etenim e LXXV illis nihil perdidit, sed, quod amisit, deest C his, quae ab initio habebat. Ita quoque, qui in contractu emtionis venditionis laesus est, is, quod sibi deesse sentit, non conferet cum ea summa, aut re, quam accepit, eam enim vel post ipsam laesione habet integrum, sed cum ea potius, quam dedit, et pro qua tantundem erat rependum: ex ea enim ipsa id, cuius iacturam fecit, tanquam partem e toto perdidit.

Patet ergo, laesione quamcunque, quae quanta sit, disceptetur, reuocandam esse tanquam ad mensuram quandam ad id, *quod laesus dedit*, aut *quod accipere debuisset*, siue, vt cum CRAMERO loquar, *quod post contractum habere debet* (haec enim omnia eodem redeunt): et quantitatem eius aestimandam e ratione geometrica eius, quod deest laeso, ad communem illam laesiorum mensuram ita, vt aequa laesi dicantur ii, quibus eadem pars eius, quod habere debebant, deest. Qui igitur pro IV dedit X, is aequa laesus est, atque alter, qui pro X dedit XXV: utrique enim tres partes quintae eius, quod dedit, desunt. De hac vero laesiorum mensura recte constituenda eam ob causam hic egimus, quod, qui de emtoris laesione ultra dimidium aliter, atque nos, sentiunt, ii in hac re potissimum labi et errare videntur.

### §. IX.

*Vera de termino laesiorum enormium ex parte emtoris constitudo sententia.*

Iam cum nobis id potissimum agendum sit, vt, quod legis diserta verba de venditore constituunt, id legitima et iusta ratio-

ne

ne ad emtorem transferamus, sequamur in ea re communem illam omnium, qui eam tractarunt, Iureconsultorum regulam, utriusque nimirum contrahentis eandem esse debere conditio nem, cum nulla sit ratio, cur vni plus faueant leges, quam alteri. Videamus igitur ante omnia, quidnam *l. 2. C.* de venditore statuat, id enim ipsum, modo recte interpretetur, in emtore quoque iustum erit. Venditor dat vel tradit rem ipsam conuentione definitam, cui etiam si quid aut quantitate aut qualitate deest, id tamen, ut §. VI. docuimus, huc plane non pertinet. Ea vero, si ad quantitatem respexeris, *iusto sui pretio* s. ei, quod venditor post contractum *habere debet*, aequalis est. Itaque ex parte venditoris laesionum mensura est rei emtiae *iustum pretium*, et ad illud referenda sunt quaevis venditoris laesiones, cum, quantae sint, quaeritur. Recte ergo et Imperatores in definienda laisionis enormis magnitudine ad iustum rei venditae pretium respexerunt, quoniam haec est iusta et legitima laisionis venditoris, de qua vna hic loquuntur, mensura. Venditorem autem enormiter laesum dicunt, cum ne dimidiem quidem partem veri istius pretii accepit, hoc est, cum laesio ad eam magnitudinem excrevit, ut ratio geometrica eius, quod deest, ad iustum pretium s. laisionis aestimandae mensuram, sit subdupla maior. Limitem ergo, quo laesiones minores a majoribus distinguantur, ipsam rationem subduplicem eius, quod deest, ad mensuram laesonum, constituant.

Transeamus iam ad emtoris laesiones, quae secundum ea, quae in superioribus tradidimus, aestimandae sunt ex eo, quod *dedit laesum emtor*, et pro quo tantundem accipere debuisset. Hoc vero non est *iustum*, sed *solutum* pretium, et id quidem, quotiescumque laesio subest, iusto aliquanto maius. Itaque in *l. 2. C.* ad emtorem transferenda et definienda laisionis enormis ex hac parte magnitudine non ad *iustum*, ut in venditore, sed ad *solutum* pretium respiciendum est. Quod enim deest laeso emtori,

C

et

et cuius ille iacturam facit, id non deest *iusto* pretio. (hoc enim, cum rem ipsam consequatur, omni ex parte ei saluum est) sed *ei, quod soluit*, cuius, cum tantundem non acceperit, partem aliquam perdidit.

Constituta vero hacce indicandi norma, ut laesiorum emtoris quantitas aestimetur e ratione geometrica eius, quod deest, ad *solutum pretium*, facile iam erit intellectu, quaenam emtoris laesiones enormes dici possint. Cum enim par sit vtriusque contrahentis conditio, et paria vtrique iura concedenda, emtorum demum enormiter laetus dici debet, cum laesio tanta est, quanta in venditore esse debet, vt si se enormiter laesum conqueri possit. Id vero tum venditori licet, cum ratio geometrica eius, quod ipse deest, ad mensuram laesiorum, subduplam superat. Ergo in emtore quoque ea demum laesio enormis dicenda est, in qua, quod deest, ad mensuram laesiorum, quae hic est *solutum pretium*, est in ratione subdupla maiore; siue emtor tum demum ultra dimidium laeditur, cum in re emta ne dimidiari quidem partem eius, quod soluit, accepit. Accipit autem rem, iusto sui pretio aqualem, quapropter et ita rem eloqui potes, vt dicas, enormem esse emtoris laesionem, si plus, quam duplex iustum pretium solutum sit, v. c. si quis pro re X valente, soluerit XXI.

Et haec demum ea est sententia, qua vna, si quid video, potest in hac re perfecta inter vtramque partem et omnibus numeris absoluta aequalitas seruari. In ea enim eadem omnino ratione cum emtore, atque cum venditore versamur. Laesiorum quantitatem, non habito discrimine, vrum vendor, an emtor laetus sit, aestimamus e ratione eius, quod laeso *deest*, ad id, quod *dedit*, et ea quidem iusta, et omnibus in vniuersum laesiorum, deminutionis, et iacturae computationibus communi: eandem denique laesiorum magnitudinem ex vtrique parte termini loco constituimus, quo laesiones minores ab enormous

bus

bns distinguantur; in qua quidem computandi ratione quid praeter haec possit desiderari, vt aequalia virique parti iura concedantur, eisdem profecto nescio.

Qui vero aliter, atque nos, laesionum emtoris enormous calculam ducendum existimant, quid agunt aliud, quam vt in emtore aliam, aliam in venditore laesionibus aestimandis mensuram adhibeant? Tum autem vbinam quoae est iactata illa tanto-  
pere et venditata ab iis inter vtramque partem aequalitas, cum, quod deest laeso venditori, refertur ad id, quod *dedit*, quod laeso emtori, ad id, quod *acepit*? Ita enim se res habet, cum sequitur aduersariorum opinionem. Venditorem negant, et vere id quidem, ex l. z. C. agere posse, si V. pro X. acceperit, cum desint ei V., quae referunt ad X., quae *dedit*, vt ratio subdupla non sit maior: emtorem vero contendunt iure experiri, si pro X. dederit XVI., cum desint ei VI., quae comparant cum X. iis, quae *acepit*, vt ratio sit subdupla maior. Hoc nisi est ab aequalitate recedere, quid aliud sit, nescio. Qui enim in aestimanda vtriusque partis iactura diuersa mensura vtitur, is vix dici potest eodem modo cum vtroque versari, et paria vtri- que iura concedere.

Maneamus ergo in ea sententia, quae, vt infra ostendere in animo est, vsu forensi comprobata, argumentis vero idoneis iam dudum a DVAREN<sup>O</sup>, et inter recentiores a Perillustri DE CRAMER defensa et propugnata est, quorum prior, prolixa sa-  
tis oratione usus, monet egrégie, *magis decipi eum, qui det X. pro IV., quam qui det XX pro X.* quanquam priori VI tantum, alteri vero X desint, et paucis interiectis addit, *grauitatem damni in qua- que specie ex eo, quod mutuo detur et accipiat, aestimandam esse.* Quae eodem fere redeunt, atque ea, quae nos in superioribus disputauimus, in laesione aestimanda non esse subsistendum in eo ipso, cuius iacturam fecimus, sed id conferendum esse cum eo, quod dedimus, cuius aliqua pars laesione nobis erupta sit. E quo

intelligitur, iniuriam non inferri emtori, qui pro re X valente  
XX soluerit, cum ei non licet experiri ea actione, quae vendi-  
tori in promptu sit, cum pro eadem re IV acceperit. Quanquam  
enim id ipsum, cuius emtor iacturam fecit, maius est, quam id,  
quod venditori periit; vendor tamen, ut DVAREN I verbis utar,  
*magis decipitur, grauiusque damnum sentit.*

Quoniam vero iustissima illa sententia multis et granibus  
argumentis impugnata est ab ICKSTADIO et Cel. DARIUS, quo-  
rum nonnulla formulis adeo Mathematicis inclusa tantam veri  
speciem prae se ferunt, ut possint facile harum rerum imperito-  
ribus sicutum facere, operae pretium nos facturos duximus, si his  
omnibus paulo diligentius examinatis, luculento satis exemplo  
ostenderemus, ut ad humana quaevis, ita et ad istas formularum  
calculique Mathematici latebras et recessus patere viam, qua irre-  
pat error, tutissimam.

### §. X.

*Refutatur argumentum Perillustr. DE ICKSTATT, e casuum,  
quibus utrinque a vero pretio aberrari potest,  
ac qualitate ductum.*

Videamus primum de argumentis ICKSTADII, quae vir iste  
eruditissimas promittit se principiis fundamenti loco praemissis, ut  
basi immotae superstrukturum. Sunt vero ex iis quaedam, quae  
facillimo negotio labefactari et loco moueri queant, quorum in  
numerum referenda est in primis interpretatio axiomatis illius,  
quod doctissimi opusculi §. XXXI. traditur, *periculum a vero pretio  
aberrandi utrinque idem esse.* Audiamus ipsum Virum egregium,  
hac de re ita differentem: *Sit merx vendenda A, cuius pretium ve-  
rum contrahentibus incognitum sit X aureorum: hoc casu aequa possi-  
ble est, ut emtor soluat venditori XI, quam ut hic emtor mercem re-  
linquat pro IX, ut emtor XII, XIII, XIV, XV, XVI, et ita por-  
ro ex errore rem aestimans soluat pro X, hic pro VIII, VII, VI, V,  
IV, et ita porro pariter ex errore in pretio aberrans rem emtori ven-  
dat.*

*dat. Non maior est possibilitas horum casuum in emtore, quam in venditore.*

Hic vero cum in duendis calculis eorum, quae fieri possunt, versemur, reddit res omnis ad Mathefin, cuius egregia doctrina tantum abeit, ut contineat se intra earum rerum, quae vere sunt, angustos limites, ut saepissime potius vel ad eorum, quae contingere possunt, spem et expectationem proferatur, nimirumque probabilia coniectura assequi, cuius rei ingeniosissimum specimen exhibuit summus ille calculi probabilium artifex, IACOBVS BERNOVLLI, in praeclaro *de arte coniectandi* libro. Quam parum vero Cel. de ICKSTATTI calculi istius iustum rationem et regulas secutus sit, id nolo, cum Ictis potius quam Mathematicis scribam, ex interioribus huius doctrinae praeceptis ostendere, parente praesertim alia, ea que longe faciliiori via.

Affirmat nimur ICKSTADIVS, aequa fieri posse, ut res, cuius pretium sit 10 aureorum

vendatur 9,	atque ut ematur 11 aureis
— 8 —	— 12 —
— 7 —	— 13 —
— 6 —	— 14 —
— 5 —	— 15 —
— 4 —	— 16 —

Sabsistit hic subito, pedemque figit in numeris 4 et 16, idque prudenti constilio. Quodsi enim paulo viterius progredi libueret, legenti cuius, quam persuadere debebat sententiam, eam res ipsa dissuaseret. Addamus enim, quod manifestum est, ex ea ipsa computandi ratione porro aequa fieri posse, ut res ista 10 aureorum

vendatur 3,	atque ut ematur 17 aureis
— 2 —	— 18 —
— 1 —	— 19 —
— 0 —	— 20 —

C 3

Ergo-

Ergone aequo sperari aut expectari potest, id vnu euenturum, vt rem quandam venditurus eam nullius plane pretii esse existimet, atque id, vt emtor duplum pro ea preium soluat? Nolo ad casus proxime subsequentes progredi, et quantitatuum negatiuum rationem habere, ne res in iocum abeat, ab auctoritate et dignitate Viri de Iurisprudentia optime meriti longe alienum. Sed quis quaeſo Mathematicorum haec ferat? Ut, qui venditorem agere vult, rem suam nullius aestimet, id plane fieri non potest; vt emtor duplum iusti pretii soluat, id et potest, et solet nonnumquam euenire. Hic igitur omnis casuum et periculi ab utraque parte aequalitas adeo conuaneat, vt eius nec vla amplius, nec vestigium appareat. Itane vero iusta et mathematica computandi ratio dicenda est, quae si ultra aliquot casuum numerum proferatur, ipsa sibi repugnat? Ita non est in Mathematicarum serierum legibus, quae stabiles sunt, sibique perpetuo constantes, in quibus quidem diiudicandis certissimum est erroris indicium, si quem reperias locum, cui non amplius conueniant, quae prioribus conuenire videbantur, vt liceat hic inuersa veluti regula Catoniana eam sancire legem, vt, quod ex post facto nullum sit, id ne ab initio quidem valuisse dicatur. Cum igitur ea ICKSTADII verba: *Non maior est possibilis horum casuum in emtore, quam in venditore,* non adhiberi possint casibus extremis, alteri nepe, cum vendor nihil accipit, alteri, cum eiutor XX soluit, quorum posterior priorem probabilitate adeo superat, vt prior contingere plane non possit, clarum est, hanc casuum aequo probabilium seriem inde ab initio falsam esse, nullique legi Mathematicae conuenire.

Hoc et ipsum vel ex eo poterit cognosci, quod ex parte emtoris aberrandi a iusto pretio periculum infinitum est, et nullis plane limitibus circumscriptum, ex parte venditoris autem istis inclusum finibus, vt error non dicam, non superare, sed ne exaequare quidem possit ipsam iusti pretii magnitudinem. Quapropter

propter fieri omnino potest, ut cupidus emitor rem quandam vel triplo aut quadruplo pluris, quam par sit, aestimet: venditor autem coeretur quasi et ad iustum pretium magis adstringitur eo, qui ex ipsa negotii natura ei constitutus est, termino, ut sentiat facilius, se iusto minus accipere, quam quidem emitor, se plus iusto dare animaduertit. Huius rei vero quod ICKSTADIVS rationem plane non habet, in eo sibi largiri aliquid nobis videatur, dicitque: *Licet enim disparitas nonnulla in eo se sisstat, quod emitor ultra alterum tantum etiam laedi possit, venditor autem ultra quantitatem pretii veri circumscribi vix queat: illud tamen aequalitatem et identitatem casum, quos hic supponimus, non desfruit. Sufficit, quod usque ad quantitatem veri pretii eadem vtriusque sit conditio. Quae in emtore laesione alea ultra integrum iustum pretium, siue alterum tantum reprehenditur, ad fauorem potius eius pertineret, et meliorem ipsius conditionem faceret; at nos eandem ne in computum quidem in praesenti trahemus.* Id vero omne contra ICKSTADIVM potius ipsum, quam contra nos valet. Primum enim luculentiter ostendit, pericula emitoris et venditoris non eadem ratione ex rei emiae iusto pretio pendere, quod quidem pretium ex parte venditoris omnium, quae vñquam contingere possunt, laesionum terminus est, non item ex parte emitoris, qui in infinitum laedi potest, quod efficit, ut ne ab initio quidem dici possit, aequre probabile esse, venditorem in re X valente decima parte iusti pretii, et emtorem eadem laesum iri, siue venditorem IX accepturum et emtorem XI soluturum, quorum tamen vtrumque ICKSTADIVS aequre facile fieri posse contendit. Deinde ipse differtis verbis fatetur, adesse *disparitatem*, quae quomodo *suppositam casum aequalitatem non possit destruere*, id Mathematicorum nemo intelligeret. Tum, quod sufficere dicit, quod usque ad quantitatatem veri pretii eadem sit vtriusque conditio, in eo duplex error est. Neque enim id verum est, vtriusque eandem esse conditionem usque ad quantitatatem veri pretii, cum non idem sit et aequre

aeque metuendum periculum, ne pro re X valente *nihil accipiam*, atque, ne XX pro ea soluam: neque, si vel maxime verum es-  
set, sufficeret, cum leges serierum Mathematicarum non ad cer-  
tam usque limitem, sed perpetuo, et quousque tandem progres-  
sus fueris, constare sibi debeant.

Huic vero tam lubrico fundamento innititur omne demon-  
strationis Mathematicae §. XXXIV. traditae, et subsequentium  
tabularum aediscium. Demonstratio luc reddit, ut ostendatur,  
in casibus istis, quorum perperam eadem dicitur exspectatio,  
eandem esse ex utraque parte et quantitatem laesiorum [quae hic  
ex *absoluta* damni magnitudine aestimatur], et eorum, quae  
utrinque dentur et accipiuntur, rationem [*nimirum arithmeticam*];  
v. c. cum venditor pro merce 10 valente accipit 4, et cum em-  
tor pro ea soluit 16, qui casus respondere sibi ex utraque parte  
dicuntur, damnum utriusque laesi, si magnitudinem, quam  
dicunt, *absolutam* speces, est 6, ratio *arithmeticica* eorum,  
quae dantur et accipiuntur, in priori quidem 10—4, in altero  
16—10, quae, cum differentiae sint aequales, omnino propor-  
tionem arithmeticam efficiunt. Et ita quoque rem se habere in  
casibus caeteris ostenditur adiectis tribus tabulis, quarum ut  
quaenam ratio sit, intelligatur, addamus exempla casuum e pri-  
ma et tertia sibi inuicem respondentium; secundae enim nihil  
praeter casum aequalitatis ineft, quo neuter laeditur. Exem-  
pla haec sunt:

Si venditor mercem ven- diderit	Laedi- tur	Sit mercis venditae pretium verum	Emtor au- tem in effe- ctu habet	Conse- queretur lucratur
E tab. I. no. 6. $10 - 6 = 4$	6	10	$10 + 6 = 16$	6
Tabula II. 10	0	10	10	0
E tab. III. no. 6. $10 + 6 = 16$	6	10	$10 - 6 = 4$	6

De

Dé qua quidem rem in tabulas redigendi ratione possent multa moneri. Sed longus esse nolo, cum ipse ICKSTADIUS §. XXXV fateatur, se eas memoriae tantum iuuandae gratia adiecisse. In ipsa vero demonstratione nouis ille error latet, quod laesionis quantitas ex *absoluta* damni magnitudine aestimatur, iisque dicuntur aequaliter laesi, quorum utriusque v. c. VI desunt, non habita ratione summae eius, e qua desint. Quo factum est necessario, ut delaberetur ad rationem et proportionem *arithmeticam*, cuius ea natura est, ut quantitatum differentias spectet. Aequales omnino sunt differentiae, cum vni tantundem, quantum alteri deest, non autem aequalis ideo laesionis quantitas, de qua quidem re sub initium §. VIII. diximus.

Iam vero hanc disputationem ad rem nostram ita transfert, vt dicat §. XXXVI, patere ad oculum, tot casibus, et in eadem quantitate laedi aut lucrari emtorem, quot venditorem laedi aut lucrari contingat. Nullo igitur iure excusari posse legistatem, qui alium in entore alium in venditore terminum A QVO laesionum enormium statuat, summanque esse iniuritiam, in pari causa, pari errandi periculo etc. venditori in casu sexto, (qui est ille, quem exempli loco e tabula proposuimus), ubi laesio eius sit 6, succurrere, in casu autem opposito in emtore, ubi scilicet soluat 16, consequenter laesio itidem sit 6, auxilium emtori denegare. Sed labefactato iam omni huius aequae probabilium casuum calculi fundamento, quis non videt, casus pari numero in utraque ICKSTADII tabula designatos, nec sibi aequali probabilitate respondere, nec eandem laesionis quantitatem continere. Quanquam enim in utroque damnum est = 6, h. e. magnitudine *absoluta* idem, non tamē ideo eadem est laesionis quantitas, quae, vt in superioribus docuimus, non ex *absoluta* damni magnitudine aestimanda, sed ad id, quod laesus dedit, veluti ad communem mensuram referenda est. Quare eorum casum, quorum utrumque ICKSTADIUS sextum appellat, nec est eadem expre-

D

statio,

351101

Etatio, nec eadem laesioris quantitas: adeoque nec possunt ini-  
quitatis accusari, qui in eorum altero venditori succurrendum,  
emtori vero in altero auxilium denegandum putant.

## §. XI.

*Casuum aequae probabilitum iustus calculus, quo vera  
sententia denuo confirmatur.*

Videamus iam, qua ratione casuum illorum aequae proba-  
bilium calculus rite et ex artis Mathematicae regulis ducendus  
sit. Cum laesiorum quantitas redeat ad rationem geometri-  
cam eius, *quod laeso deest*, ad id, *quod dedit*, poterit ea semper  
designari numero fracto, cuius numerator ei, *quod laeso deest*,  
denominator ei, *quod dedit*, aequalis sit. Ita venditoris, qui  
pro re X valente IV accepit, laesio erit =  $\frac{1}{10} = \frac{3}{30}$ ; emtoris, qui  
pro ea XVI soluit, =  $\frac{6}{10} = \frac{3}{5}$ . Aequales vero laesiones eae  
erunt, quae aequalibus designabuntur fractionibus.

Iam vt omnes omnino cum venditoris, tum emtoris laesio-  
nes, quae contingere vnuquam possunt, calculo nostro comple-  
tatur, quod fieri deber, cum de probabilibus quaeritur, di-  
spiciamus de iis, intra quos continentur omnes, limitibus.  
Fingamus itaque duas laesiorum, quae contingere possunt, se-  
ries, vnam venditoris, alteram emtoris, videamusque, qui-  
nam iis sint limites, alter, cui minores, alter, cui maiores lae-  
siones perpetuo accedant et appropinquent. Et e venditoris  
quidem parte reperiemus seriem fractionum constantis sibi sem-  
per denominatoris, quoniam, *quod dedit* venditor, semper est  
idem, nimur res ipsa, iusto sui pretio aequalis, numerato-  
rum vero, siue eorum, *quaes deesse possint*, eam naturam, vt ne-  
que possint vnuquam ipsam iusti pretii seu denominatoris quan-  
titatem attingere, neque plane euancescere. Venditor enim nec  
potest vnuquam integrum rei emiae pretium, nec, si laesus dici  
sit = p, venditoris laesiones omnes continebuntur intra li-  
mites

mites  $\frac{p}{p}$ , et  $\frac{o}{p}$ , h. e. intra i et o. At ex altera parte paulo aliter res se habet, cum in serie laesiorum emtoris denominatores et numeratores fractionum simul mutantur. Quotiescumque enim emtor maiorem, quam antea, pecuniae summam soluit, h. e. quoties denominator crescit, toties et plus, quam antea, perdit, h. e. toties crescit et numerator. Quanquam vero infinitum est ex hac parte errandi periculum, nunquam tamen potest emtor omne id, quod dedit, perdere, quoniam tantum ei semper saltum est; quantum inest in valore rei emtæ, quam accipit; adeoque numerator nunquam potest ipsam denominatoris magnitudinem exaequare, vt fractio fiat = 1; sed laesio continet se intra fines fractionum verarum, quae unitate semper sunt minores. Neque vero, si laesio dici debet, laesio plane potest evanescere: sit igitur semper minor i, maior o, necesse est. Quapropter et ex emtoris parte omnium, quae contingeri possunt, laesiorum limites sunt i et o.

Verum ex eo, quod fractionibus verarum, quae omnes intra i et o continentur, innumera est copia, facile pater, causum, quibus venditor et emtor laedi possunt, infinitum esse numerum, ita, vt quibus, quae cogitari possit, fractio vera respondeat alicui et venditoris et emtoris laesioni, quarum utraque, cum eadam fractione designetur, quantitate eadem est. Nam, vt viam nobis ad calculum analyticum muniamus, dicamus iustum rei pretium = p, id, quod deest venditori cuidam = 1, designabitur venditoris istius laesio fractione  $\frac{1}{p}$ . Quod vero deest emtori cuidam, seu, quod ille plus iusto soluit, non minemus =  $\lambda$ ; soluit igitur  $p + \lambda$ , et laesio eius designabitur fractione  $\frac{\lambda}{p + \lambda}$ . Igitur formulae istae  $\frac{1}{p}$  et  $\frac{\lambda}{p + \lambda}$  sunt termini communes serierum, quae laesiones omnes complectuntur,

prima venditoris, altera emtoris. Iam, quoniam  $\lambda$ , quantum quantum sit, nunquam potest attingere ipsum iustum pretium, limes maior terminorum prioris seriei est  $\frac{p}{p+\lambda} = 1$ . Ita, quoniam  $\lambda$  non potest ad eam excrescere magnitudinem, ut ratio eius ad  $p + \lambda$  in ipsam rationem aequalitatis abeat, quod fieret, si  $\lambda$  esset infinite magnum, limes maior alterius seriei est  $\frac{\infty}{p+\infty} = 0$ . Limitem minorem vtrumque = 0 esse, ex eo intelligitur, quod, cum  $\lambda$  et  $\lambda$  euaneantur, laesio adesse desinit. Si vero casus, in quibus  $\frac{1}{p} = \frac{\lambda}{p+\lambda}$ , non laesionis solum quantitate, sed et exspectationis et probabilitatis gradu sibi respondent. Primum enim id aequa ab vitroque exspectari potest, eum a iusto prelio *plane non aberraturum*; ergo aequa fieri potest, vt  $\frac{1}{p}$  sit c, atque vt  $\frac{\lambda}{p+\lambda}$  sit o. Deinde vero ii demum casus sunt *plane non probabiles*, quibus exspectamus, venditorem *nihil accepturum*, emitorem *immensum et infinitum premium* soluturum. Aequa ergo fieri non potest, vt  $\frac{1}{p}$  sit 1, atque vt  $\frac{\lambda}{p+\lambda}$  sit 1. Ergo, si serierum casuum aequa probabilitum iudicemus sunt limites, qui sunt serierum laesiorum aequalium, ad casus vero probabiles referendae sunt omnes eae fractiones, quae intra hos limites cogitari possunt, ad casus laesiorum aequalium iudicemus omnes eae fractiones, quae intra eosdem limites cogitari possunt, quid potest esse clarus, quam has series omnes, earumque terminos congruere secum et inter se conuenire. Laesiorum igitur, quae eadem fractione designantur, non solum eadem est quantitas, sed eadem quoque exspectatio et idem periculum.

Ergo

Ergo eos demum casus et aequi probabiles esse, et eandem laesione quantitatem continere patet, in quibus

$$\frac{1}{P} = \frac{\lambda}{p + \lambda}, \text{ e quo sequitur proportio geometrica}$$

$$1 : p = \lambda : p + \lambda$$

$$\text{et diuisum } \frac{1}{p - 1} : p = p + \lambda - \lambda : p + \lambda$$

$$\text{h.e. } p - 1 : p = p : p + \lambda$$

Iam vero inuenimus facilissimam computandarum laesiorum aequalium et aequi probabilium rationem. Cum nimirum data quadam venditoris laesione, quaeritur, quanam ei emtoris laesio et quantitate et probabilitate respondeat, inferatur:  $\sqrt{p - 1}$ , sine id, quod laesus vendor accepit, geometrica est ad p, s. iustum rei pretium, ita p seu iustum pretium est ad  $p + \lambda$ , seu id, quod laesus emtor solvit. Ita, si vendor pro re X valente accepit IV, quaeriturque, quanam emtoris laesio et aequi facile exspectari, et aequalis priori venditoris laesioni dici possit, calculi ita subducendi sunt:

$4 : 10 = 10 : \text{pret. ab emtore solutum}$ .  
Regula de tribus quartum terminum = 25 suppeditabit. Aequi igitur haec possunt exspectari, venditorem rem istam X numos valentem IV numis venditurn, atque alterum, emtorem pro ea XXV numos soluturn.

Superest, ut ostendamus, ipsas illustr. deICKSTATT regulas, modo iusto huic calcuculo adhibeantur, ad veram nos dicere sententiam. Iam enim nostra computandi ratio docet, aequi fieri posse, ut res, cuius pretium sit 10 aureorum, ve- neat 9, atque ut ematur 11 aureis. Etenim  $9 : 10 = 10 : \frac{10}{9} = 11\frac{1}{9}$ . E quo haec prodit series.

Aequa probabile est, rem i solaureorum

I.	venditum	iri	—	10,	atque emitoris	iri	10	aūr.
II.	—	—	—	9	—	—	11 $\frac{1}{2}$	—
III.	—	—	—	8	—	—	12 $\frac{1}{2}$	T
IV.	—	—	—	7	—	—	14 $\frac{1}{2}$	—
V.	—	—	—	6	—	—	16 $\frac{1}{2}$	—
VI.	—	—	—	5	—	—	20	—
VII.	—	—	—	4	—	—	25	—
VIII.	—	—	—	3	—	—	33 $\frac{1}{2}$	—
IX.	—	—	—	2	—	—	36	—
X.	—	—	—	1	—	—	100	—

addimus, aequa fieri non posse. Iusquod enī obiectum est, ut sup  
ut venditum iri, aequa fieri non posse. Iusquod enī obiectum est, ut sup  
infinito pretio.

Nolim tamē hoc ita interpreteris, vt putes, non esse  
plures quam X casus, quibus contrahentes laeti possint, sicut  
enī infiniti numero: nos vero ex his X tantum eos considera-  
vimus, in quibus venditoris iactura progreditur serie numero-  
rum integrorum, h. e. arithmeticā, quibus respondent X aliī ex  
parte emitoris, vbi solusq; pretium non, vt apud ICKSTADIUM,  
in arithmeticā, sed in harmonia serie crescit. Harūm vero series  
rum legem, nimirum, vt si prior fuerit arithmeticā, altera si  
harmonia, stabilem esse, sibique perperuo constantem, id Ma-  
thematico cuius patebit. Si enim ulterius progredi libeat, utrius-  
que seriei termini simul in negatiuos transeunt, in priori per o,  
in altera per oo. Poteris etiam retrosum utramque conti-  
nuare. Tunc enim invenies in priore emitoris iacturam arithme-  
ticā progredientem, et eadem, atque antea, lege alijs vendito-  
ris laesioribus respondentem. Nusquam vero repieres locum,  
qui non eadem conueniant, aut in quo ad abscon sibique et pri-  
oribus repugnantia deferarisi. Nulla hic se sifit, vt apud ICK-  
STADIUM, disparitas, non redigeris ad eas angustias, vt dicendum  
fit, sufficere, quod usque ad certam quantitatem eadem sit condīcio.

Iam

Iam vero huc transferimus ipsas ex STADII regulas, quarum prior §. XXXII. his verbis traditur, non posse legislatorem contra monifessam iniuriam partium in casibus probris aequalibus dimersum ius statuere, altera §. XXXVII. his: *Ab eodem casu laesione, siue aberrationis a vero et iusto pretio laesio enormis dabit incipere in emtore, a quo incipit in venditore.* Quae quidem omnia sunt verissima, modo recte definias, qui sic *idem casus*. Is vero alias esse non potest, quam qui et eandem vitrique laesionem infert, et aequa potest in vitro qua exspectari, cuiusmodi sunt ii, qui in nostra tabula respondent. Atqui 1. 2. C. laesiones ex parte venditoris fert usque ad casum eius tabulae sextum, adeoque et ita ad emtorem preferenda est, ut laesiones eius tum enormes dicantur, cum plus quam in casu tabulae nostrae sexto, h. e. plus duplo iusto pretio soluum sit. Vt ergo, re X valente, venditor ultra diuidium laesus dicitur, si minus quam V accepit, ita emtorum demum ultra diuidium laesus dici potest, si plus quam XX dedit, quae denuo est vera illa et a nobis aliis iam argumentis confirmata sententia.

**Disputatur de olio quodam aduersariorum argumento,  
ad hunc calculum recuocando.**

Accedamus iam ad alia quaedam argumenta, quae ab adversariis e falsa ista et illegitima iacionum sestimandarum et casuum inter se conferendorum ratione dicuntur, et dispiciamus primum de eo, quod est spud ACKSTADIVM, §. LII., *leges e nostra sententia imperio altero tanto pluribus casibus sine spe resarcitionis ferendis subiicere*, quodque dilucidius explicatur his verbis: *Venditor in morte valente 10 (supponimus nimicum), lucra et damna progradi in numeris integris, 10 habet casus, quibus lucrari potest, et totidem ex aduerso sunt casus, quibus emtor perdere potest.* Contra emtor in eodem contractu tantum 5 habet casus, quibus lucrum sibi promittere potest, et 5 tantum sunt casus, quibus venditor perdere potest. Sub-

Sub

Subiungit huic aliud, nimicum lucrum maximum venditoris apud nos esse ad lucrum maximum emtoris in ratione dupla, damnum maximum venditoris ad damnum maximum emtoris in ratione subdupla, quam summatam dicit inaequalitatem. Deinde §. LVII. juncto utroque argumento colligir, cum casus isti (quorum nempe ille pro sua calculi ducendi ratione 5 in venditore, 10 in emtore numerauerat) sint neque possibles, emtorem a nobis altero tanto maiori aliae et periculo danni expossum esse, quam venditorem, cum spem lucri contra altero tanto minoris solum ipsi integrum.

Errat vero, qui ita argumentatur, et in casum numero, et in laesiones quantitate aestimanda. Casum enim omnium numerus cum ab utraque parte sit insinus neque enim omnium fractionum verarum, quae cogitari intra limites quosdam possunt, numerus unquam iniiri potest), primum id non vere dicuntur, in emtore esse 10, in venditore 5 casus, quibus laedi possint. Deinde, si quosdam tantum casis numerare luet, quod fieri omnino debet, cum omnes numero complecti nequeas, ex utraque parte leges quaedam constitienda sunt, quibus definitur numerandorum casuum series, ita tamen, ut utrinque casus aeque probabiles sibi inuicem respondeant. Iam vero 10. STADIUS in venditore securis eam legem, ut damna progrederentur in numeris integris, vnde series arithmeticamente enascitur, in emtore eam sibi scribere debebat, ut pretia soluta progrederentur in serie harmonica, vt nos §. XI. docuimus. Quod si fecisset, tum denum casus aeque probabiles ex utraque parte sibi respondentes esset assicurati. Ille vero et lucra et damna progrederetur in numeris integris, peccatque in eo, quod, quam legem seriei ex parte venditoris constituit, eandem et alteri seriei ex parte emtoris scribendam esse existimat, ut arithmeticę utraque progrederiatur, quod quantopere hic legum Mathematicarum naturae aduersetur, de eo iam §. X. disputauimus. Ergo aut di-

cen.

cendum erat, casus numerari plane non posse, aut, si quosdam tantum, eosque ex vtraque parte aequae probabiles considerare veller, non sumendum, eos vtrinque in serie arithmeticā progreedi (quod sumit, cum et lucra et damna dicit in numeris integris progreedi; prior enim series est *damnorum venditoris*, altera *damnorum emtoris*, h. e. *lucrorum venditoris*): aut si forte nimium placebant hae leges, non existimandum, se earum ope et auxilio ad casus aequae possibiles peruenisse.

Quod autem de lucro et damno maximo venditoris emtorisque dicit, redit ad falsam laesionis aestimandae rationem, qua ille respicit eam tantum, quae *absoluta* vocari solet, damni magnitudinem, neque istam, vt fieri debebat, refert ad id, quod a laeso datum est, vt ad communem quandam laesionum mensuram, e qua vna tandem vera laesionis quantitas potest cognosci. Id enim lubenter largimur Viro celeberrimo, cum res X numerorum venditur, venditorem e nostra sententia V, emtorem X perdere posse, quae *damna*, si *absolutam* eorum magnitudinem spectes, vtique sunt in ratione subdupla. At, si in laesione aestimanda, vt fieri decet, contuleris, quod laeso deest, cum eo, quod dedit, reperies laesionem venditoris maximam =  $\frac{5}{10}$ , emtoris =  $\frac{10}{20}$ , qui numeri fracti, cum aequales sint, indicant eandem in vtroque maximam eam, cuius periculum subit, laesionem. Qui enim V e X perdidit, is demum aequae laesus est, atque is, qui X e XX amisi, cum ICKSTADIVS eandem esse eorum conditionem existimet, quorum alteri V e X, alteri eadem V e XX desunt. Hoc vero quam parum cum iusta aestimandarum laesionum ratione conueniat, vel ex eo potest intelligi, quod, qui e maiori summa V perdidit, non tantopere sibi laesus videtur, atque is, cui eadem V e minori summa desunt de quo iam sub initium §. VIII. monuumus.

## §. XIII.

*Falsa eorum opinio, qui iustitiae commutativae regulas proportionem arithmeticam exigere arbitrantur.*

Quod in superioribus §. VII. obseruauimus, aduersiorum sententiam a nostra in eo potissimum recedere, quod in terminis laesiorum ex vtraque parte constituendis illa *arithmeticam*, nostra *geometricam* proportionem sequatur, id occasionem iis praebuit excogitandi alius, quo contra nos vtercentur, argumenti, vt nimurum contendant, *in iustitia commutativa receptam esse proportionem arithmeticam*, quae ipsa sunt Cel. DARIES<sup>p)</sup> verba. Neque desunt apud ICKSTADIVM, quae huic opinioni faueant, quamquam hic ea commendandae magis suae, quam demonstrandae sententiae adhibuit. Ita enim §. LIV, *par*, inquit, *ita seruatur diſtantia, seu differentia aequalis* (in hac vero ipsa cernitur proportionis arithmeticæ indoles) *a termino communi, scilicet pretio vero, vt vult iustitia commutativa.* Vnde colligunt, terminum laesiorum ferendarum ex parte vendoris, verum pretium, et alterum terminum laesiorum ex parte emtoris, esse debere in proportione arithmeticæ; vt, cum e lege ad refindendam venditionem agere liceat, si vendor pro re X valente minus, quam V accepit, concedendum sit emtori, vt ex eadem lege agat si pro eadem re plus quam XV soluerit, quoniam sit arithmeticæ.

$$5 - 10 = 10 - 15.$$

At, quit sibi velint haec, *receptam esse in iustitia commutativa proportionem arithmeticam*, id nec ego intelligo, nec praeter me quisquam eorum, qui veram proportionum indolem ac usum norunt. Est vero hic communis, sed non acerbe satis exagitan-  
dus commentatorum error, vt, cum ARISTOTELES<sup>q)</sup> duplicem esse dixerit iustitiam particularem, ἐν μεν εἰδος τὸ ἐν ταῖς διανομαῖς ή τιμῆς, ή χερημάτων, ή τῶν ἀλλων, ὅσα μερισα τοῖς ιουνωνοῖς

vōuσt

p) Diff. cit. §. XXIV.

q) Ethicorum Lib. V. Cap. 5.

νοῦσι τῆς πολιτείας, ἐν δὲ τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικὸν υπό<sup>τ</sup> de iustitiae distributiae et commutatiue, verius correctiue, nomina fluxere), atque priorem geometricam, alteram arithmeticam analogiam sequi affirmauerit, ii peruerse hunc locum interpretati in praemissis et poenis geometricam, in omni de contractibus doctrina arithmeticam proportionem dominari existiment. Quae quidem opinio cum a mente veteris Philosophi, tum vel maxime ab omnibus doctrinae Mathematicae praceptis longissime aberrat. Primum enim quod attinet ARISTOTELIS mentem, ea haec est, in distribuendis inter ciues honoribus, pecuniis, frumento, atque omnibus in yniuersum largitionibus publicis, frequentioribus iis apud veteres, iustitiam non ita versari, ut aequa lance omnia partiatur, sed respicere singulorum ciuium dignitatem, merita, conditionem, et imitari veluti proportionem geometricam tuasque rationes geometricas sibi inuicem aequales spectare, alteram duarum personarum, alteram partium iis tribendarum<sup>r).</sup> Alia vero ratione agere iustitiam eam, quae in resarcendo damno et eripiendo lucro iniusto versetur; hanc enim non respicere personae conditionem aut dignitatem, sed vnam τὸν βλάβους τὴν διαφορὰν, damni illati discrimen, spectare, siveque imitari proportionem arithmeticam, ut inter id, quod laedens habeat (quod iusto semper est maius), et id, quod laeso supersit (quod iusto est minus), τὸ διuersum ipsum, seu quod vterque habere debeat, locum arithmeticice medium occupet<sup>s).</sup> Haec quam vere a veterum Philoso-

## E 2 phorum

r) Clara sunt ARISTOTELIS verba, c. 6: Ἀνάγνωσθαι τὸ διuersον ἐν εκάλυπτοις τέτταραις οἷς τε γαρ τυγχάνει ὁν, ὃν ἐστιν οὐδὲν ἐν αἰσ, τὰ πράγματα δύο. Ιτaque iustum versetur, neccesse est, in quatuor serminis: nam es ii, quibus ius aliquid est, duo sunt, et res duas, in quas ius ius est. Et paucis interiectis: ὡς γαρ ἀκήντη ἔχει τὰ ἐν αἷς, οὐτω κακεῖνα ἔχει. Es

γαρ μὲν ίσοι, οὐκ τοι τίσουσι. Ut enim eae res si habent in quas ius est, ita et illa se habent (personae nimirum, quibus ius est). Nisi enim aequales sint, neque aequalia adipiscuntur.

s) Clarissima iterum sunt verba Philosophi, c. 7: Τοῦ μὲν πλεονεσ τῷ τοῦ ἑλάττονος τὸ ίσον μέσον τὸ δὲ κέρδος τῷ μηδια, τὸ μὲν πλεον, τὸ δὲ ἑλάττον δικαίως.

phorum principe disputata, tam male ab imperitis eiusdem interpretibus intellecta sunt, qui sinistris auspiciis in re Mathematica versati, summa imis, quadrata rotundis commiscuere. Quid enim ineſt huic ARISTOTELIS loco, e quo possis peruersam illam et falsissimam sententiam exsculpere, in commerciis, quae ad iustitiam commutatiuam referenda dicuntur, non valere nisi arithmeticam proportionem. Rideret profecto et te et ARISTOTELIS auctoritatem mercator, cui velles persuadere, cum vna libra sex grossis venderetur, te quatuor libras nouem grossis emturum, etiam si vel maxime vtereris hoc argumento, ut dices esse arithmeticice  $1 - 4 = 6 - 9$ , teque versari in iustitia commutativa contractibus propria, in qua quidem iuberet ARISTOTELIS omnia ad proportionem arithmeticam expendere. Sed cum de his vel eorum, qui ultra Pescheckii libros non sapiunt, possit esse iudicium, id vnum addamus, nos haec non ioci causa, sed eo consilio adiecisse, ut intelligent legentes, calculi in singulo quoquis negotio rite ducendis rationem non ad istam iustitiae partitionem redire, sed ex ipsius negotii natura et indeole esse inuestigandam et explicandam. Id vero dolendum est, tralatitium hunc errorem per tot Commentatorum scripta migrasse, et mouisse summos quoque, meaque laude longe maiores Viros, ut tam vili de causa repudiarent proportionem geometricam, cuius quam frequens sit et legitimus in commerciis et contractibus vſus, poterant eos vel ipsae regulae de tribus et societatis monere. Et quam parum sibi in rebus ad hanc normam diiudicandis constent, ex eo potest cognosci, quod, quam in emtione venditione reprobandam censem, proportionem geometricam, eam ipſi admittendam iudicant in permutteratione.

πλος . . . . οὐ μέτρον τὸ λεγόμενον τοιούτοις plus et minus, contrario modo. . . .  
διανοιῶν. Aequum pluris et paucioris me- Inter verumque medium est aequum,  
dium est. Lucrum autem et damnum est quod iustum dicimus.

tionē<sup>t)</sup>), quae cur non aequa cōmūtatio venditio e iustitiae cōmutatiuae regulis diiudicanda sit, non video.

## §. XIV.

*Non recte monere Cel. DARIES, in nostra computandi ratione plane nullam proportionem seruari.*

Nec arithmeticam nos, nec geometricam proportionem vere sequi arbitratur Cel. DARIES<sup>u)</sup>), in quo tamen ipsam sententiae nostrae vim et mentem plane non intellexisse videtur. Putat enim, dicere nos, esse

Minus Pretium: Valorem = Valorem: Maius Pretium

$$\text{e. g. } 4 : 10 = 10 : 2,$$

quae vere non est proportio geometrica. Sic vero nemo unquam e nostris locutus est. Ita potius calculos ponimus, ut terminum laesiorum ex parte venditoris esse dicamus ad verum pretium, ut verum pretium ad terminum laesiorum ex parte emitoris, e. g.

$$5 : 10 = 10 : 20.$$

Sed, si libet iusto minora pretia cum maioribus conferre, quod fieri omnino potest, non existimandum est, primas omnium, quae contingere possint sibiique inuicem respondeant, laesiones esse eas, quibus pro re X valente IV et XXI soluantur, sed omnes enormes dicendae sunt, quae terminos ipsos vel minutissima parte superant. Ita iam tum adest minus pretium, cum pro re 10 valente non nisi  $4\frac{1}{2}$  soluantur. Tum vero erit.

$$4\frac{1}{2} : 10 = 10 : 2,$$

quae iusta est et vera proportio geometrica. Et, cum in uniuersum (§. XI)

$$p - 1 : p = p : p + \lambda,$$

E 3

respon-

t) DE ICKSTATT Opusc. cit. fere sua fecit, DARIES Diff. cit. §. LIII, et, qui ICKSTADII omnia §. XXI.

u) Diff. cit. §. XXIII.

respondebunt sibi iniucem ex vtraque parte eae laesiones, in  
quibus  $\lambda = \frac{p^1}{p - 1}$ .

Iam, si laefio venditoris sit enormis, h. e. si  $1 > \frac{1}{2} p$ , erit  $p^1 > \frac{1}{2} p^2$ ;  $p - 1 < \frac{1}{2} p$ : ergo  $\lambda > p$ , et  $p + \lambda > 2p$ , h. e. respondens laefio emtoris e nostra sententia quoque enormis; quapropter cuius laefioni enormi venditoris alia emtoris enormis poterit adiungi, quae priori et quantitate et probabilitatis gradu respondeat, et cum vero valore et respondente minore pretio iustum proportionem geometricam continuam efficiat.

## §. XV.

*Refutatur aliud Illustris DE ICKSTATT argumentum  
ex eo petitum, quod omnis alea sit  
ex parte rei.*

Est in principiis ab Illustri DE ICKSTATT fundamenti loco prae-  
missis aliud §. XXIX et XXX, quod eo reddit, omnem aleam et pe-  
riculum erroris se tenere ex parte rei a venditore in contradictum dedu-  
ctae. Pecuniae valorem certum, et quamvis laefionem ex errore mo-  
netae enormem censendam et corrigendam esse. Aliter vero rem se ha-  
bere in permutationibus, vbi eterque duplice subeat aleam, 1. dum  
aberret in vero pretio rei suae, 2. dum aberret in vero pretio rei alte-  
rius. Quae etiam si vera sint, tamen, quid contra nos efficiant,  
non video, cum nos et ipsi (§. X et XI) ex illo errandi periculo  
ad unum rei vendenda preium spectante et ICKSTADIVM refel-  
lerimus, et commode legitimoque modo nostram sententiam  
deduxerimus. Nostra enim aestimandae laefionis et compu-  
tandi periculi ratio non ita recedit ab ICKSTADIANA illa, vt nos  
aut ad laefiones ex errore in moneta commisso respiciamus, aut  
vnuquam alia de causa maiorem vel minorem pecuniam summam  
soluidicamus, quam de ea, quod contrahentes ipsam rem in contra-  
dictum deductam iusto pluris aut paucioris aestimem. In eo potius  
cerntur ICKSTADIANI calculi a nostro differen, quod ille cum  
dam-

damnorum, quam vocant, *absolutam magnitudinem respicit, tum ea errandi pericula aequalia putat, quae vere diuersa sunt: nos vero istam, quam ne nos quidem negamus omnem esse ex parte rei aleam e laesiorum quantitate ad iustam earum mensuram relata, et periculis iis diiudicamus, quae e calculi probabilium legibus vere sibi ab utraque parte respondent.*

Quapropter non est, quod dicat, *ex hoc fundamento fontem et originem erroris nostri clare elucescere, et §. LIII., feliciter se detexisse errorum, qui ICTos habentur seduxisset.* Quam lubricum enim sit hocce fundamentum, id vel ex eo, quod ipse ei imposuit, aedificio potest intelligi. Nam, quod saepe accidere solet iis, qui a vero aberrant, ut repugnant sibi, et a se ipsis dissentiant, id hic quoque Vir eruditissimus passus est. Cum enim §. XLII. permutationis exemplum proposuisset, eique suos adhibuisset calculos, iudicassetque, subueniendum ei videri, qui rem valentem 1000 permuttererit cum 1520, ecce repente §. LIII, cum contra Duarenus disputat, mutata sententia statuit, *cum in permutatione utriusque permuntantes ut emtores et ut venditores considerari possint: in casibus, ubi habeantur pro venditoribus, VTRINQVE verum esse, laesos esse enormiter, si nec dimidium eius, quod dederint habent.*

### §. XVI.

*Aduersarios magis verba legis, quam eorum vim et potestatem respicere.*

Omnis vero aduersariorum error huc potissimum reddit quod in l. 2 C. de rescind. vendit. ad emtorem transferenda verba nimis vrgent, mentem ipsam et vim negligunt. Inde enim est, quod ait DE ICKSTATT §. LIII, *imperatores non dimidium eius, quod datum esset, sed dimidium VERI ET IVSTI PRETII rei in venditionis atque emtionis contradictione deductae voluisse terminum A QY.O laesiorum enormous constituere.* Verissimum hoc est, si verba spectes, Neque enim poterant, cum de venditore solo dicarent, alium

laesisionis terminum constituere, quam qui ad communem omnium venditoris laesionum mensuram referretur. Hic autem mensura laesionum, quae consistit in eo, quod a laeso datum est, conuenit cum vero et iusto rei pretio: adeoque recte et iustissime Imperatores *iusti pretii, veri pretii,* verbis vni mensuram istam, e qua aestimanda esset venditoris laesio, designarunt. Iam vero, cum lex ad emtorem laesum transfertur, manendum non est in his verbis, sed spectandum potius, quam mente posita sint, quae ea est, ut aestimandae laesisionis mensuram significant. Emotor autem, quantopere laesus sit, non aestimat et dijudicat, ut venditor, e *iusto* rei, sed e *soluto* pretio. Quod enim ipsi deest, id perdidit ex eo, quod soluit, non ex eo, quod accepit; de quo cum iam §. IX egerimus, nolumus hic longiores esse. Refert igitur emtor, quod sibi deest, ut partem ad totum, ad *solutum* pretium, quod expendit, non ad *iustum*, quod saluum ei est, cum rem ipsam sit consecutus. Itaque substituenda est vero *iustaque pretio* ex parte emtoris alia laesisionis mensura, nec e verbis colligendum, Imperatores ex hac quoque parte, si de emtore interrogati fuissent, dimidiam *veri iustique pretii* partem terminum laesionum enormium fuisse constituturos, sed dimidiam potius *soluti pretii*. Quod si obseruaueris, in veram denuò redibis sententiam. Idem enim et vnum est, in re emta ne dimidiad quidem soluti pretii partem consequi, et pro re emta pretium duplo iusto maius soluere.

### §. XVII.

#### *De iusu fori pauca adduntur.*

Iam refutatis fere omnibus, quae ab aduersariis contra instam hanc et aequissimam sententiam solent moneri, liceat pauca quaedam de forensi consuetudine addere, quam ubique fere nobiscum egregie consentire, vel ex eorum ictorum pragmaticorum numero potest intelligi, qui in partes nostras concessere, quosque laudat ICKSTADIUS §. XLIX. Et, quod nostram

stram in primis Saxoniam attinet, refert CARPOVIVS <sup>x)</sup>,  
 Ictos ita respondisse in causa Georg Schauers zu Zschaken, Mens.  
 Nov. 1633: So verbleibt bey solchem Kauf billig, ihr könnet denn,  
 wie Recht, erweisen und beybringen, dass berührtes Gut zur Zeit des  
 geschlossenen Kaufs nicht den halben Theil der bewilligten Kaufgelder  
 werth gewesen, und ihr also mehr, denn noch einst so viel über den  
 rechten Werth dafür zu geben zugesagt: auf den Fall wäre der  
 Verkäufer euch die ausgezählten Gelder und Befferung zu erstatten, und  
 das Gut wiederum anzunehmen, oder was ihr über den rechten Werth  
 dafür zu geben antheitig worden, ihme an der bewilligten Kaufsumme  
 abkürzen zu lassen verpflichtet. Ipsa ageudi formula est apud  
 SCHACHERVM <sup>y)</sup> his verbis concepta: Kl. saget, wie dass er vom  
 Bekl. ein Haus um 2000 Gulden baaren Geldes erkauft. Nun dann solches  
 ein mehrers nicht, denn 900 Gulden werth gewesen, also Kl. über die Helfte  
 verletzt worden; als fordert er Antwort, mit Bitte, zu erkennen, dass  
 Bekl. entweder das libellirte Haus, gegen Erstattung des Kaufgeldes der  
 2000 Gulden wieder anzunehmen, oder die Uebermaass der 1100 Gul-  
 den zurückzugeben schuldig &c. Haec vero praxis, vt satis super-  
 que docuisse nobis videmur, tam egregie conuenit cum iustitiae  
 ac aequitatis regulis veraque interpretandi ratione, vt manen-  
 dum sit in hac communii latorum opinione, non ea numero so-  
 lum assentientium, vt vult ICKSTADIVS, sed argumentorum  
 quoque vi ac pondere commendata; nec audiendus TITIVS <sup>z)</sup>,  
 qui tantopere eam ab omni aequitate abhorre indicavit, vt di-  
 ceret: Quod si quis vulgatum illud, nihil tam absurdum esse, quod  
 non aliquando defendere Philosophus, ad interpretes iuris civilis ap-  
 plicare velit, ipsum computationem nostram in exempli vicem non male  
 allegare, quod et iusto acerbius et inconsideratus a viro cetero-  
 qui summo scriptum esse, peritissimus quisque et aequissimus

F 2

harum

x) Part. II. Const. 34. dist. 8.  
 y) Colleg. Pract. p. 308.

<sup>z)</sup> In not. ad LAUTERBACH, Tit.  
 de refc. vend.

harum rerum arbiter intelliget. Tandem id quoque monendum videtur, forensem usum quibusdam in terris a nostra illa sententia recedere, ut fieri solet apud Hispanos ea de causa, quod plerique eorum, quos haec terra genuit, Ictorum in alia omnia abeunt, neque non Iure Wurtembergico, quo, cum tertia pars iusti pretii ex parte vendororis laesionum enormous terminus habetur, eiusdem iusti pretii pars tertia terminus quoque ex parte emtoris constituitur disertis illis, quae adscribere lubet  
**EX ICKSTADIO §. XLVII. verbis:** *Als wann zur Zeit des Contrats ein Gut dem gemeinen Werth nach 60 Flor. werths gewesen, und der Verkäufer weniger als 40 Flor. davor empfangen, oder der Käufer 80 Flor. oder mehr davor bezahlt hätte.* Hic enim, vbi diserta ad est legislatoris voluntas, ex ea magis, quam ex aequitate res di judicanda est, quanquam facile pater, meliorem ita esse emtoris, quam quidem vendororis conditionem, quoniam laesio, quae potest inferri emtori maxima, non est, nisi  $\frac{20}{60} = \frac{1}{3}$  eius, quod dedit, quae vero vendori,  $\frac{20}{60} = \frac{1}{3}$  iusti pretii, quod vendor, cum rem ipsam traderet, dedit, ut vix aequo iure cum vtro que versari ista lex videatur.

Sed haec de laesione emtoris ultra dimidium reste com putanda sufficient. Ego vero, qui non tam id mihi sumsi, ut lites inter summos Viros agitatas componerem, quam id, ut quid mihi videatur, traderem, liberum eius rei iudicium legenti cuius relinquo, satis de eo me felicem praedicaturus, si, quamcunque in tractando hoc argumento posui operam, eam peritis aequisque eius rei arbitris non omni saltem ex parte dis plicuisse intellexero.



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle  
004 568 583


3



sb:

f





1777, 25<sup>b</sup>

DE  
LAESIONE EMTORIS  
VLTRA DIMIDIVM RECTE  
COMPVTANDA

COMMENTATIO IN AVGVRALIS  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
HONORIBVS

DEFENDET  
M. IO. SAMVEL TRAVG. GEHLER  
GORLICIO - LVSATVS  
IVRIS VTR. BACCALAVREVS

LIPSIAE D. XXVII. FEBR. MDCCCLXXVII.

LIPSIAE  
Ex OFFICINA BREITKOPFIA.